



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Evtropii De Gestis Romanorvm Liber Sextvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277

tra fidem datam inermes peremit. Cumq; magna crudelitate aduersus fontes, infontesq; fauaret, Quintus Catulus palam Syllæ dixit: Cum quibus tandem uicturi sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus. Sylla dehinc Marium Gratidianum de caprili casa extractum uinciri iussit: ductumq; trans Tyberim, oculis effossis, membris minutatim fractis, uel exectis trucidari. Marium Marij filium Prænestæ persecutus obsedit: & ad mortem compulit. Rursum pugnam grauissimam habuit contra Lamponium, & Carinatem duces partis marianæ ad portam Collinam. LXXX millia hostium in eo prælio contra Syllam fuisse dicuntur, duodecim millia se Syllæ dederunt. ceteri in acie, in castris, in fuga, insatiabili ira uictoris cõsumpti sunt. Cn. quoq; Carbo COS. alter ab Arimino in Siciliam fugit: & ibi per Cneum Pompeium interfectus est: quem adolescentem Sylla annos unum & uiginti natum, cognita eius industria, tantis exercitibus præfecerat, ut secundus Sylla haberetur. Occiso ergo Carbone, Siciliam Pompeius recepit: transgressus inde ad Africam, Domitiũ marianæ partis ducem, & Hiarbam regem Mauritaniam, qui Domitio auxilium ferebat, occidit. Post hæc Sylla de Mithridate ingenti gloria triumphauit. Cneus etiam Pompeius, quod nulli Romanorum tributum erat, quartum & uigesimum annum agens, de Africa triumphauit. Hunc finem habuerunt duo bella funestissima, Italicũ, quod sociale dictum est, & ciuile: quæ ambo tractata sunt per annos decem. Consumpserunt autem ultra centum quinquaginta millia hominum, uiros consulares XXIII. prætores VII. ædilitios LX. senatores ferè CCC. Post hæc tamen Sylla mortuo, Lepidus marianæ partis, aduersus Catulum Syllanum ducem consurgens, bellum reparauit. bis tunc acie certatum est. Plurimi Romanorum extincti. Albanorum ciuitas, pro eo quod illuc Scipio Lepidi filius cõfugisset, expugnata & capta est. Brutus in Cisalpinam Galliam fugiens, apud Regium interfectus est. Hoc tempore Hierosolymis Alexandra uxor Alexandri regnabat: ex cuius ætate, Iudæos rerum confusio, & uariæ dades oppressere.

EVTROPII DE GESTIS

ROMANORVM LIBER

S E X T V S.



MARCO Aemilio Lepido, Quinto Catulo COS. Cum Sylla Remp. composuisset, bella noua exarserunt. Vnum in Hispania, aliud in Pamphilia & Sicilia, Tertium in Macedonia, Quartum in Dalmatia. Nam Sertorius, qui partium marianarum fuerat, timens fortunam eorũ qui interempti erant, ad bellum commouit Hispanias. Missi sunt contra eum duces Quintus Cecilius Metellus, filius eius qui Iugurtham regem uicit: & Lucius

& Lucius Domitius prætor. A Sertorij duce Herculeo, Domitius occisus est. Metellus uario successu contra Sertorium dimicauit. Postea cum impar pugnae solus Metellus putaretur, Cneus Pompeius ad Hispanias missus est. Ita duobus ducibus aduersus Sertorium fortuna uaria saepe pugnavit. Octauodecimo anno per suos occisus est, & finis ei bello datus est, per Cneum Pompeium, adolescentem, & Quintum Metellum Pium: atque omnes propè Hispaniæ in ditionem populi Romani redactæ sunt. Ad Macedoniam missus est Appius Claudius. Post consulatum, leuia prælia habuit contra uarias gentes, quæ Verodopam prouinciam incolebant: atque ibi morbo mortuus est. Missus ei successor Cn. Scribonius Curio post consulatum. Is Dardanos uicit, & usque ad Danubium penetrauit, triumphumque meruit: & intra triennium finem bello dedit. Ad Ciliciam & Pamphiliam missus est post Seruilius ex consularibus uir strenuus. Is Ciliciam subegit: Lyciæ urbes clarissimas oppugnauit, & cepit. In his Phaselidem, Olympum, Corycum Ciliciæ, Isaurisque aggressus, ad ditionem redegit, atque intra triennium bello finem dedit. Primus omnium Romanorum in Isauriam iter fecit. Is reuertens triumphum accepit: & nomen Isaurici meruit: ac in Illyricum missus est Cn. Cosconio proconsule. Is multam etiam partem Dalmatiæ subegit: Salonas cepit, & composito bello, Romam post biennium redijt. Iisdem temporibus COS. Marcus Aemilius Lepidus Catulo collega, ciuile bellum uoluit commouere. Intra tamen unam æstatem motus eius oppressus est. Ita uno tempore multi simul triumphi fuerunt: Metelli ex Hispania, Pompeij secundus ex Hispania, Curionis ex Macedonia, Seruilij ex Isauria.

BELLVM SPARTICVM.



ANNO urbis conditæ sexcentesimo septuagesimo sexto L. Licinio Lucullo, & M. Aurelio Cotta COS. mortuus est Nicomedes rex Bithyniæ, & per testamentum populum Ro. heredem fecit. Mithridates pace rupta, Bithyniam & Asiam rursus uoluit inuadere. Aduersus eum ambo COS. missi, nõ unam habuere fortunam. Cotta apud Chalcedonem uictus ab eo acie, etiã intra oppidum coactus est, & obsessus. Sed cum se inde Mithridates Cyzicum transtulisset: ut Cyzico capto, totam Asiam inuaderet: Lucullus ei alter consul occurrit. Ac dum Mithridates in obsidione Cyzici comoraretur: ipse eum à tergo obsedit, famèq; consumpsit: & multis prælijs uicit. Postremo Byzantium, quæ nunc Constantinopolis est, fugauit: nauali quoq; prælio duces eius Lucullus oppressit. Ita una hyeme, & æstate à Lucullo ad centum ferè millia hominũ regis extincta sunt. Anno urbis Romæ DCLXXVIII. Macedoniam prouinciam M. Licinius Lucullus accepit, consobrinus eius qui contra Mithridatè bellum gerebat. Et in Italia nouum bellum subito commotum est. Septuaginta em̄ & quatuor gladiatores ducibus Sparthaco, Chryso, & Oenomao, effracto Capuæ

Capuæ ludo fugerunt. Vesuuium montem occupauerunt. Vnde erumpentes, Clodij præconis, qui eos obsidione cinxerat, castra expugnaverunt: ipsoq; in fugam acto, cuncta in prædam auerterunt. Inde per Cosentiam, & Metapontum circumducti, ingentia breui agmina collegerunt. Itaq; cum cædibus, incendijs, rapinis, stuprisq; omnia miscerentur: multaq; se matronæ ob dolorem pudoris uiolati necassent: penè non leuius bellum mox q̄ Hannibal mouerunt. Nam multis ducibus, & duobus simul Romanorum COSS. uictis, LX. ferè millium armatorū exercitum congregauerunt: Victiq; sunt in Appulia à M. Licinio Crasso proconsule, & post multas calamitates Italiae, tertio anno bello huic finis impositus est. Sexcentesimo octogesimo primo anno urbis conditæ, P. Cornelio, tantum duo grauiâ bella imperio Romano erant, Mithridaticum, & Macedonicum. Hæc duo Luculli agebant, Lucius Lucullus, & Marcus Lucullus. Lucius ergo Lucullus post pugnam Cyzicenam, qua uicerat Mithridatem: & naualem, qua duces eius oppræsserat: persecutus est eum, & recepta Paphlagonia, atq; Bithynia, etiam regnum eius inuasit. Sinopem & Amisum ciuitates Ponti nobilissimas cepit. Secundo bello apud Cabira ciuitatem, quo ingentes copias ex omni regno adduxerat Mithridates: cum XXX. millia lectissima regis, à quinq; Romanorum militibus uastata essent: Mithridates fugatus, & castra eius direpta. Armenia quoq; minor, quam tenuerat, eidem sublata est. Susceptus tamen est Mithridates post fugam à Tigrane Armeniae rege, qui tum ingenti gloria imperabat: Persas sæpe uicerat, Mesopotamiam occupauerat, & Syriam Phœnicis partem. Ergo Lucullus repetens hostem fugatum, & regnū Tigranis, qui Armenis imperabat, ingressus est. Tigrancertam ciuitatem Armeniae nobilissimam regni accepit: ipsum regem cum sexcentis millibus dibanarijs, & centum millibus sagittariorum & armatorum uenientem, decem octo millia militum habens, ita uicit, ut magnam partem Armeniorū deleuerit. Inde Nisibin profectus, eam quoque ciuitatem cum regis fratre cepit. Sed ij, quos in Ponto Lucullus reliquerat, cum exercitus parte, ut regiones uictas etiam Romanorum tuerentur: negligenter se, & auare agentes, occasionem iterum Mithridati in Pontum irumpendi dederunt: atque ita bellum renouatum est. Lucullo paranti, capta Nisibi contra Persas expeditionem, successor est missus. Alter autem Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis primus Romanorum intulit bellum, atque eos ingenti prælio in Hemo monte superauit: oppidum Vscudaniam, quod Bessi habitabant: eodem die quo aggressus est, uicit. Cabulem cepit, & usque ad Danubium penetrauit. Expugnauit etiam gentes, quæ Rhodopeis montibus circumfusæ sunt. Inter cætera, dictu, audituque horrida quædam in captiuos agebant. Ruptis, cum poculo opus esset, humanorum capitum ossibus, cruentis, capillatisque adhuc, ac per interiores cauernas male effuso cerebro oblitis, auide ac sine horrore, tanquam ueris poculis utebantur. Inde multas supra Pontum positas ciuitates aggressus est. Illic Apolloniam euertit: Calatim, Parthenopolim, Tomos, Histrum, Buziam omnem cepit: belloque confecto Romam redijt. Ambo tamen triumpharunt.

Lucullus,

Lucullus qui contra Mithridatem pugnauerat, maiori gloria, cum tantorum re-
 gnorum uictor rediisset. Confecto bello Macedonico, manente Mithridati-
 co, quod recedente Lucullo rex collectis auxilijs reparauerat, bellum Creticum
 ortum est. Ad id missus Cecilius Metellus, ingentibus praelijs, intra triennium
 omnem prouinciam cepit: appellatusq; est Creticus: atque ex insula triumphauit.
 Quo tempore Lybia quoq; Romano imperio per testamentu Appionis,
 qui rex eius fuerat, accessit: in qua inclytæ urbes erant Berenice, Ptolemæis, &
 Cyrene. Dum hæc aguntur, Piratæ omnia mari infestabant: ita ut Romanis
 toto orbe uictoribus, sola nauigatio tuta nõ esset. Quare id bellum Cneo Pom-
 peio decretum est, quod intra paucos menses ingenti felicitate & celeritate con-
 fecit: mox ei delatum bellum etiam contra regem Mithridatem. in Armenia
 minore, nocturno praelio uicit: castra diripuit: quadraginta mille eius occidit:
 uiginti tantum de exercitu suo perdidit, & duos centuriones. Mithridates cum
 uxore fugit & duobus comitibus. Neq; multo post cum in suos sæuiter: & com-
 plures amicos suos, nec non Exipodriam, Macharemq; filios suos trucidasset:
 Pharnaces alter filius eius exemplo fratrum territus, exercitum patris ad perfe-
 quendum se missum conciliauit: & mox aduersum patrem duxit. Mithridates
 diu ex altissimo muro filium frustra precatus, ubi inexorabilem uidit: ita fertur
 exclamasse. Quoniã, inquit, Pharnaces mori iubet: uos si estis dij patrij, precor
 ut quandocunq; hanc uocem ipse audiat à liberis suis, Statimq; descendens ad
 uxores, pellices, ac filias suas, uenenum omnibus dedit. Quod cum ipse nouissi-
 mus omnium hausisset: nec tamẽ propter remedia quibus se præmunierat, ue-
 neno confici posset: Gallum quendam Vitigem militem inuitauit, eiq; iugu-
 lum præbuit. Hunc finem habuit Mithridates. Perijt autem apud Bosphorum
 uir ingentis industriæ & consilij, qui regnauit annis quadraginta: uixit quinq;ua-
 ginta duos, contra Romanos bellum habuit annis XL. Tigrani deinde Pom-
 peius bellum intulit: ille se eidem dedit: & in castra Pompeij XVI. milliario
 ab Artaxata uenit: ac diadema suum cum procubisset ad genua Pompeij, in
 manibus eius collocauit: quod ei Pompeius reposuit, honorificèq; eum habi-
 tum, regni tamen parte multauit, & grandis pecunia adempta est ei. Syri, Phe-
 nice, Sephene. Septem præterea talentorum auri millia, & argenti, CCCC. mil-
 lia, quæ populo Romano daret: quia bellum sine causa Romanis comouisset.
 Pompeius etiam mox Albanis bellum intulit: & eorum regem, Herodem scili-
 cet prudenter uicit. Postremo per epulas, ac munera rogatus, ueniam ei ac pa-
 cem dedit. Hiberiæ quoq; regem Artacem uicit acie, & in deditionem accepit.
 Armeniam minorem, Deiotaro Galatiæ regi donauit: quia socius belli Mithri-
 datici fuerat. Attalo & Pylemeni, Paphlagoniam reddidit. Aristarchum Col-
 chis regem imposuit. Mox Ituræos & Arabes uicit. Et cum uenisset in Syriam,
 Seleuciam uicinam Antiochiæ ciuitatẽ, libertate donauit, quod regem Tigra-
 nem non recepisset. Antiochensibus obsides reddidit: aliquantum agrorum
 Damascensibus dedit, quo locus ibi spatiosior fieret: delectatus amœnitate loci,
 & aquarum abundantia. Inde ad Iudæam transgressus est. Hierosolymam
 caput

caput gentis obsedit: non solum natura loci, uerum etiam ingenti muro, fossâq; maxime munitam. Cum alias alijs legiones: diu, noctûq; succedere sine requie cogeret: uix tertio mense expugnauit. XIII. M. Iudæorû occisis: cæteris in fidem acceptis: muros ciuitatis euerit, æquariq; solo imperauit: cuius circuitus quatuor millium passuum dicitur fuisse. Cumq; aliquantos principes Iudæorum securi percussisset, Hircanum sacerdotio restituit, Aristobolum captiuum Romam duxit. Hoc bellum orientis cum XXII. regibus se gessisse ipse Pompeius narrauit. His gestis, in Asiam se recepit: & finem antiquissimo bello dedit, Marco Tullio Cicerone oratore, & Cneo Antonio COS.

CATILINAE CONIURATIO.



ANNO sexcentesimo urbis conditæ LXXXIX. L. Sergius Catilina nobilissimi generis uir: sed ingenij prauissimi ad delendam patriam coniurauit cum quibusdam claris quidem, sed audacibus uiris. à Cicerone urbe expulsus est. Socij eius deprehensi, in carcere strangulati sunt. Ab Antonio altero COS. Catilina ipse uictus prælio est, & interfectus. DC. XC. anno urbis conditæ. D. Junio Syllano, & L. Murena COS. Metellus de Creta triumphauit. Pompeius de bello Piratico & Mithridatico, nulla unquam pompa triumphii similis fuit. Ducti sunt ante eius currum filij Mithridatis: filij Tigranis, & Aristobolus rex Iudæorum. prælata ingens pecunia, aurum, atq; argentum infinitum: Hoc tempore nullum per orbem terrarum graue bellum erat. Anno urbis conditæ. DC. XC. VIII. C. Iulius Cæsar, qui postea imperauit cum L. Bibulo COS. est factus: decreta est ei Gallia transalpina, & cisalpina, & comata. Postea senatus addidit & Illyricum cum legionibus denis. Primo uicit Heluetios, qui nunc Quadi appellantur. Deinde uincendo bella grauissima, usq; ad oceanum Britannicum processit. Expugnauit nanque in ea Heluetios, Tulingos, Latobriges, Rauracos & Boios: ex quibus C. XLVII. M. perempta sunt: cætera effugerunt. Deinde Ariouistum regem, cui auxiliabantur Arudes, Marcomanni, Triboci, Vangiones, Nemetes, Sedusij, & Sueui, fugere compulit: duasq; uxores eius, totidemq; filias cepit: omnemq; exercitum per L. M. passuum infatigabiliter cecidit. Post hoc gentem Belgarum, cui adhaeserant bello Vangij, cum LX. M. armatorum, Sueffones cum L. M. Neruij præterea, quorû adeo indomita feritas erat: ut nunquam ad se mercatores accedere sinerent: Hi nihilominus L. M. armatorû habentes, Atrebates etiam & Ambiani, Menapij, Caleti, Velocases, Viromandui, Atuatici, Conduenses, Eburones, Cerafi, Pemani, qui uno nomine Germani uocantur, quorum omnium cum ijs, quos supra diximus CCLXXII. M. fuisse referuntur. Hi cum repente è syluis erumpentes exercitum Cæsaris perterritû in fugam uertissent: tandem hortatu Cæsaris exercitus restitit: eosq; usq; ad internitionem penè deleuit. Dehinc Titurius & Sabinus legatus Cæsaris Aulereos, Eburones, Lexouiosque incredibili cæde deleuit

Heluetij, de
inde Quadi
dicti.

Olim etiam
Picardi, Ger
mani erant.

deleuit P. Crassus alter legatus, ex Aquitanis & Cantabris XXXVIII. M. interfecit. Cæsar rursus Germanos, qui Rhenum transierant, & totas Gallias sibi subijcere parabant, bello adortus, usq; ad internitionem cecidit, quorū feruntur. CCCC. XL. M. fuisse. Deinde facto ponte Rhenum transgressus, Sueuos maximam & ferocissimam gentem superauit: quorum esse centum pagos multi prodidere, totamq; Germaniam perterruit: mox in Galliā se recepit. Domuit autem annis IX. fere omnem Galliā, quæ inter alpes & flumen Rhodanum, Rhenum & Oceanum est, & circuitu patet ad bis tricies Centena millia passuum. Britānis mox etiam bellum intulit: quibus ante eum nec nomen quidem Ro. cognitum erat: eos quoq; uictos, obsidibus acceptis, stipendiarios fecit. Galliæ autem tributi nomine annū imperauit HS. quadringentes: Germanosq; trans Rhenum aggressus, maximis prælijs uicit. Inter tot successus ter male pugnauit, apud Sergouiam semel præfens, & absens in Germania bis: Nā legati eius Titurius & Arunculeius per insidias cæsi sunt. Circa eadē tēpora anno urbis conditæ DC. XCIX. M. Licinius Crassus, collega Cn. Pompeij Magni cōsulatu secūdo contra Parthos missus est: & cū circa Carras contra omnia & auspicia dimicasset: à Surena Orodis regis duce uictus, ad postremū interfectus est cū filio clarissimo eiusdem nominis & præstantissimo iuuenē. Reliquæ exercitus per Cassium quæstorē seruatæ sunt: qui singulari animo perditas res tanta uirtute restituit: ut Persas rediens, trans Euphratem crebris prælijs uinceret. Hinc iam bellum ciuile successit execrandum & lachrymabile: quo præter calamitates quæ prælijs acciderunt, etiam Romani nominis fortuna mutata est. Cæsar enim rediens è Galliā uictor, cœpit poscere alium consulatum: atq; cū sine dubietate aliqua ei deferretur, contradictum est à Marcello COS. à Bibulo, à Pompeio, à Catone: iussusq; ut dimissis exercitibus ad urbē rediret: & ex Marcelli COS. autoritate ad legiones quæ apud Luceriam erant, Pompeius cū imperio missus est: propter quam iniuriā Cæsar ab Arimino, ubi milites congregatos habebat, aduersum patriam cū exercitu uenit. COS. cum Pompeio, senatusq; omnis, atque uniuersa nobilitas ex urbe fugit, & in Græciam transiuit, apud Epeirum, Macedoniam, Achaiam, Pompeio duce, senatus contra Cæsarem bellum parauit. Cæsar uaciam urbem ingressus, dictatorē se fecit. inde Hispanias petijt, ibi Pompeij exercitus ualidissimos & fortissimos, cum tribus duobus L. Afranio. M. Petreio M. Varrone superauit. Inde regressus, in Græciam transijt: aduersum Pompeium dimicauit. Primum apud Dyrrhachium primo prælio uictus est & fugatus, euasit tamen, quia nocte interueniente, Pompeius sequi noluit: dixitq; Cæsar, nec Pompeium scire uincere, & illa tantū die se posse superari. Deinde in Thessalia apud Pharsaliam, productis utrinq; ingētibus copijs dimicauerunt. Pompeij acies habuit XL. M. peditū, equites in sinistro cornu VII. millia, in dextero. D. præterea totius oriētis auxilia, totamq; nobilitatem, innumeros Senatores, prætorios, consulares, & qui magnorū iam bellorū uictores fuissent. Cæsar in acie sua habuit peditum non integra XXX. M. equites mille. Nunq̄ adhuc Romanæ copię in unum, neq; maiores, neque

V melioribus

melioribus ducibus conuenerant: totum terrarum orbem facile subactura: si cōtra Barbaros duceretur. Pugnatum tamen est ingenti contentione. Cumq; diu utrinque dubia forte caderentur: atque ex alia parte Pompeius inter hortandum diceret, Parcite ciuibus, nec tamen facerent: ex alio uero Cæsar hoc facere urgeret, dicens: miles, faciem feri, tandem omnis Pompeij exercitus fugit, castra eius direpta sunt. Ipse fugatus Alexandriam petiuit: ut à rege Aegypti, cui tutor à Senatu datus fuerat, propter iuuenilem eius ætatem, acciperet auxilia, qui fortunam magis quàm amicitiam secutus, occidit Pompeium: caput eius & animum Cæsari misit: quo conspecto Cæsar etiam lachrymas fuisse dicitur, tanti uiri intuens caput, & generi quondam sui. Mox Cæsar Alexandriam uenit, ipsi quoque Ptolemæus insidias parauit. Cæsar ui insistentium hostium pressus, scapham ascendit: qua mox pondere subsequantium aggrauata acmersa, per CC. passus ad nauem una manu eleuata, qua chartas tenebat, natando peruenit. Mox nauali certamine pulsatus, magna facilitate classem regiam aut depressit, aut cœpit. Alexandrinis petentibus, reddidit regem, monitum ut amicitiam magis Romanam, quàm arma experiri studeret: qui tamen ilico ut liber fuit, bellum intulit: sed cōtinuo cum toto exercitu suo & ipse deletus est. Nam XX. M. hominum in eo bello cæsa referuntur. XX. M. cum LXX. longis nauibus dedita: quingenti ex uictoribus cecidisse dicuntur. Rex ipse adolescens scapha exceptus ut fugeret: multis insilientibus,mersus necatusque est. Corpus eius ad littus deuolutum, indicio lorice aureæ cognitum fuit. Cæsar Alexandria potitus, regnum Cleopatæ dedit Ptolemæi sorori, cum qua consuetudinem stupri habuerat: quæ postea regio comitatu, urbem ingressa est. Rediens inde Cæsar, Pharnacem Mithridatis magni filium, qui Pompeio in auxilium apud Thessaliam fuerat: rebellantē in Ponto, & multas populi Ro. prouincias occupantem, uicit acie: Postea ad mortem coegit. Inde Romam regressus tertio se COS. fecit cum M. Aemilio Lepido: qui ei magister equitum dictatori ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est: ubi infinita nobilitas cum Iuba Mauritanæ rege bellum reparauerat. apud Thapsum pugnaui Cæ. cum illis, & uicit. Duces autem Ro. erant P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani. Hic etiam socer Magni Pomp. fuerat. M. Petreius Varro. M. Portius Cato. L. Cornelius Faustus Syllæ dictatoris filius. Contra hos commisso prælio, post multas dimicationes uictor fuit Cæsar. Cato, Scipio, Petreius, Iuba ipsi se occiderunt. Faustus Syllæ quondam dictatoris filius Pomp. gener à Cæsare interfectus est. Post annum Cæsar Romam IIII. triumphis ingressus est, quarto se COS. fecit, & statim ad Hispanias est profectus: ubi Pompeij filij Cn. & Sextus, ingens bellum præparauerant. Multa prælia fuerunt. ultimum apud Mundam ciuitatem, in quo adeo Cæsar penè uictus est: ut fugientibus suis se uoluerit occidere, ne post tantam militaris rei gloriam in potestatem adolescentium natus annos LVI. ueniret. denique reparatis suis uicit, & Sex. Pompeij filius maior occisus est, minor fugit. Inde Cæsar bellis ciuilibus toto orbe compositis, Romam redijt, & agere insolentius cœpit,

& contra

& contra consuetudinem Ro. libertatis. Cum ergo & honores ex sua uoluntate præstaret, qui ad populum antea referebantur: nec Senatui ad se uenienti assurgeret, aliâq; regia & penè tyrannica faceret, coniuratum est in eum à LX. uel amplius senatoribus equitibus Ro. Præcipui autem fuerunt inter coniuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti, qui primus Romæ COS. fuerat, & reges expulerat, & C. Cassius & Seruilius Casca. Ergo Cæsar cum senatus die quadam inter cæteros uenisset ad curiam, XXIII. uulneribus confossus est: uir quo nullus unq; bellis magis enituit. Eius siquidē ductu, undecies cētum nonaginta & duo M. hostium cæsa sunt. Nam quantum bellis ciuilibus fuderit, noluit annotare. Signis collatis quinquagies dimicauit. M. Marcellum solus supergressus, qui XXXIX uicibus pari modo fuerat præliatus. Adhuc nullus celerius scripsit, ne mo uelocius legit, quaternas simul epistolas dictauit. Tantæ fuit bonitatis, ut quos armis subegerat, clementia magis uicerit. Eodem tempore tres simul exorti soles, paulatim in eundem orbem coierunt. Inter cætera portenta, quæ in toto orbe facta sunt, bos in suburbano Romæ ad arâtes locutus est. Frustra se urgeri: Non enim frumenta, sed homines breui defuturos.

EVTROPII DE GESTIS

ROMANORVM LIBER

SEPTIMVS.



Anno urbis conditæ DCC. ferè ac nono, interfecto Cæsare, ciuilia bella reparata sunt: Percussoribus enim Cæsaris senatus fauebat. Sed Antonius COS. partiū Cæsaris, ciuilibus bellis opprimere eos conabatur. Ergo turbata Repub. multa Antonius scelera committens, à senatu hostis iudicatur. Missi ad eum persequendum duo COS. Pansa, & Hircius, & Octauius adolescens anno XVII natus, patre Octauiio senatore genitus, maternum genus ab Aenea per Iuliam familiam sortitus, Cæsaris nepos, quem ille testamēto hæredem reliquerat, & nomen suum ferre iusserat. Hic est, qui postea Aug. est dictus, & rerum fortuna potitus. Quare profecti contra Antonium tres duces, uicerunt eum apud Mutinam. euenit tamen, ut uictores COS. ambo morerentur: quare tres exercitus uni Cæsari paruerunt. Fugatus Ant. amisso exercitu, confugit in Gallias ad Lepidum, qui Cæsaris magister equitum fuerat, & tum militum copias grandes habebat: à quo susceptus est. mox Lepido operam dante, Cæsar pacem cum Anto. fecit, & quasi uindicaturus patris sui mortem, à quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus, extorsit, ut sibi XX anno consulatus daretur. Senatū proscripsit, cum Antonio, ac Lepido, Remp.

V 2 armis